

20.325

870

Cerroto 71

Sabado á las 8. y  $\frac{1}{2}$  y á las 4.

T and S / Oct 8 and 9 Goods

850  
Foll. 20.325

UNIVERSAE PHILOSOPHIAE  
THESES,  
QUAS  
PUBLICAE CONCERTATIONI  
EXPONIT

D. FRANCISCUS ANTONIUS AGULLÓ, ET SEMPERE,  
ORCELENSIS SEMINARII TOGATUS ALUMNUS.

PRAESIDE

D. D. IOANNE ANTONIO COSTA, ET BES,  
Præbytero, et in eodem Collegio Philoso-  
phiae Professore.

*Locus certaminis Orcel. Templum SS. VV. et MM.  
Iustae, et Ruffinae, Seminarii  
Palaestra.*

DIE 7 MENSIS IUNII ANN. M.DCCLXXXVIII.



MURCIAE:

---

In Calcographio D. Antoniae Ramirez, Viduae Philippi Teruel,  
olim Typographi, via Lintearia.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO



FVLGENTISSIMO. ECCLESIAE. SOLI.

DOCTORI. LONGE. PRAECLARO.

ANGELICO. PRAECEPTORI.

DIVO. THOMAE. AQVINATI.

VIRO. AD. CORDIS. DEI. MENSVRAM. INSCVLPTO.

FIDELISSIMO. ABRAHAMO.

HVMILLIMO. AC. OBSEQVENTISSIONIS. ISAACO.

INCLYTO. LEGIS. GRATIAE. IOSEPHO.

AËREARVM. POTESTATVM. FRAVDIBVS. HORTO. CONCLVSO.

FERACI. OMNIVM. VIRTVTVM. FRVGVM. PARADISSO.

LIMPIDISSIMO. SAPIENTIAE. FONTI.

PVTEO. AQVAE. VIVENTIS. PROFVNDISSIMO.

EX.QVO.NVLLA.VALET.TVRBIDA.EXHAVRIRI.DOCTRINA.

MYSTERIORVM. DEI. DISPENSATORI.

PERILLVSTRI.SACRARVM.SCRIPTVRARVM.INTERPRETI.

ECCLESIAE. SANCTAE. LVMINI.

PONTIFICVM. ORACVLO.

SANCTORVM. PATRVM EXPLANATORI.

ORTHODOXAE. FIDEI. COLVMNAE. AC. FIRMAMENTO.

SCHOLAE. NOSTRAE. PARENTI.

Q V E M.

INDVLSIT. DEVS. MVNDO.

VT. PHILOSOPHIAM. COLLVSTRARET.

THEOLOGIAE. MAXIMAM. LVCEM. AFFERRET.

HAERESSES. AB. IMIS. SVFFODERET.

HAERETICOSQVE. PROSTERNERET.

COL-

COLLAPSAM. ECCLESIASTICAM. DISCIPLINAM. INSTAVRARET.

MORES. COMPONERET.

VT. SANCTA. IESV-CHRISTI. ECCLESIA.

Q VAE.

CEV. ALIA. PETRI. NAVICULA.

INIQUISSIMORVM. HOMINVM. FALLACIIS. TECHNISQVE. EXAGITATA.

IAM. IAM. AD. SCOPVLOS. ALLIDI. VIDERETVR.

ITA. FIRMA. CONSISTERET.

VT. DE. IPSIS. INFERI. PORTIS. PLENAM. VICTORIAM. REPORTARET.

VT. OMNIBVS. DEMVM. IN. TERRIS. ESSET. EXEMPLO.

AC. IN. COELIS. PATROCINIO.

TIBI. IGITVR.

IN. TEMPLO. DEI. ASTRO. SPLENDIDISSIMO.


SINCERO. DEVOTO. CORDE.

IN. AETERNVM. PIETATIS. OBSEQVIVM.

AC. GRATI. ANIMI. ARGUMENTVM.

HAS. PHILOSOPHICAS. THES. DICAT. OFFERT. CONSECRAT.

FRANCISCVS. ANTONIVS. AGULLO. ET SEMPERE.



## PHILOSOPHIA *in Universum.*

P

1. Hilosophia Graeca vox est , quae Latio redditam amor , seu veritatis studium apud Ciceronem audit : si tamen mentem surrigamus , ac rem huic subiectam vocabulo penitus introspiciamus , certa , et evidens est rerum per altiores causas cognitio lumine naturali parta.

2. Hanc in nobis existere , nisi qui mentem habuerit chimaeris pastam , in dubium revocabit nullus : multoties tamen nos in tenebris voluntari , extra omnem dubitationis aleam constitutum.

3. Ceu simplicium deceptrix , haeresum mater , rixarumque ministra Philosophia à nonnullis sugillatur : verum eam Philosopho Christiano , Reipublicae membro , toti demum humano generi perutilem esse , ille ibit inficias , qui vel ingenium habuerit immersum humeris , vel cerebrum in calcaneo gestet.

4. Incoepit cum humana progenie ista facultas : eam namque à supremo rerum omnium Opifice infusam habuere primi Parentes ; blaterent quantum velint Brukerus , et Heineccius.

5. Ergo mole sua ruit opinatio , Graeciam Philosophiae parentem venditantum. Haud tamen diffitebimus post universale diluvium , quo tempore fere iacebat , Graecis Philosophis manum porrigentibus , caput extulisse.

6. Igitur hos , aliosque et fama celebres viros , et eruditione conspicuos , qui collapsam Philosophiam , ac veternosa detruncatam falce omni pectoris robore erigere conati sunt , secundarias illius causas esse appellandos facile crediderim ego.

7. Verum inter ipsas Medicorum manus aegrotare coepit : dissentiendo enim prurigine , ac novandi cacoëthe id effectum est , ut una , ac indivisa Philosophia in tot discerpta Sectas consiperetur , quot illius erant Professorum capita. Hinc Italici , Ionici , Academicci , caet. veluti per posticum eruperé.

8. Probris , ac sibilis nos excipiunt Recentiores ; de libertate philosophan-

di nobis adempta queruntur : verum trabem à proprio oculo deiicere negligunt , qui festucam in alieno demirantur . ; Licitumne ipsis erit à Cartesii , Gassendi , Nevvtoni placitis recedere ? ; Turbines , monades , attractiones , ac sexcenta alia commenta lucida utroque non exosculantur labio ? En labyrin- thum illis intricatissimum ; hic aqua haeret , ac incassum sese expedire molliuntur .

9. Nos autem , cum flagrans veritatis desiderium nobis à natura inditum explere velimus , ex eo fonte utraque vola eam ebibemus , ex quo emanare viderimus .

10. Illis ergo , quibus Aristotelis Philosophiam ab immortali Aquinate reformatam , ac erroribus purgatam , in illis praesertim rebus , quae nec obser- vationibus , nec experimentis detegi adhuc potuere , et in quibus verisimilius non appetet , placet amplecti , aures accommodamus .

11. En Philosophiae partium elenchum : Logica , Metaphysica , Physica , Ethica , queis addiscendis Matheseos cognitionem conferre plurimum , non se- cūs ac digitos nostros , ac ungues noscimus .

12. Omnimodam certitudinem , quae in puris Mathematicis reperitur , in aliis Philosophiae partibus velle invenire , est nodum in scirpo quaerere .

## LOGICA.

13. Logica , quae à verbo Graeco Logos suam trahit originem , alia est Philosophiae pars , quae hominis mentem perpolit , ac veluti manu dicit , ut inoffenso pede ad veritatem tandem perveniat .

14. Sagacitatem nobis insitam ad verum inveniendum , et iudicandum na- turalem Logicam appellamus ; artificialem verò , facultatem usu , et studio comparatam , praecepta complectentem , quibus mens ad recte ratiocinandum dirigitur .

15. Haec vere , et proprie scientia est ; arti tamen aliquantulum persi- milis .

16. Non speculativa simul , et practica est , nec tota praxis , sed theo- retica dumtaxat .

17. Haec omnibus aliis scientiis facem facile praefert : quinimo ad diffici- les quasque in statu , ut vocant , perfecto acquirendas penitus necessaria est ; in statu verò imperfecto , aliquantum .

18. Res omnes à nobis cognitae subiecta Logices materia ; formale verò obiectum ens rationis , sive artificiosa illa dispositio subiecti , praedicati , caet . rebus cognitis superinducta .

19. Omnes mentis operationes , quae sane plurimae sunt , ad Apprehensio- nem ,

\* III \*

nem , Iudicium , et Discursum reducimus , quoniam Angelicum Praeceptorem religiosius aemulari conamur.

*Apprehensio prima mentis operatio.*

20. Apprehensio ille est mentis actus , quo obiectam rem praesentem sibi facit absque affirmatione ulla , vel negatione.
21. In corpore sensoriorum organorum , ac cerebri motione perceptionem consistere autumant Leucippus , et Epicurus . ; Hoccine vobis placet ? Nobis penitus iniucundum.
22. Materiam cogitandi vi esse inexpertem , ita obvium est , et perspicuum , ut errare non detur , nisi in plena meridie caecutienti.
23. Ergo perceptionem non materiei , sed mentis actionem , passionem minimè dicio. En profligatus Cartesius.
24. Species , seu idea est obiecti cuiusvis imago in intellectu agnoscentis formata : impressa una est , alia expressa , quibus enucleandis incedimus parati.
25. Ex quatuor aspectibus ideas contemplari possumus , ex earum origine , natura , ex relatione ad mentem , et ad obiecta. Hinc ideae vel adventitiae sunt , vel factitiae , simplices , caet. Eas omnes enodabo , propriisque exemplis indigitabo.
26. Perceptio , et idea inter se maxime distant : oppositum Lockii figuratum veritati non respondet.
27. Ideae intellectuales dicendae minimè sunt exilissimae atomorum contexturae à corporibus profluente : mirum sanè quantum hac in re Epicurei fuerint debacchati.
28. Igitur abeant in malam crucem , ac facessant penitus Hobbesius , et Volterus , aliquie huius generis Monistae , qui ore nimis duro ausi sunt pronuntiare , ideas materiae modificationes esse appellandas.
29. Ideas omnes per se subsistentes , à Deo , et rebus omnibus separatas , Platonem , aiunt , confinxisse : ast hoc deliramentum ingens est , vacuo cerebello concoctum.
30. Consopitum Platonis commentum ex parte restituere aggressus est Renatus Cartesius , qui conditis à Deo spiritibus , corporibusque coniunctis rerum ideas illorum insitas origine liberaliter erogavit.
31. Ingenitas , seu innatas ideas à nostris finibus eliminamus ; quandoquidem probè noscimus omnes cogitationes à corporeis imaginibus , externisque sensibus exoriri.
32. Nec est , cur Dei notionem insitam adstruamus ; à magnitudine enim speciei , et creaturae poterit cognoscibiliter Creator omnium videri.

\* IV \*

33. Malebranchius , eximius caeteroquin Philosophus , existimans mentem nostram omnia in Deo , huncque in se ipso immediate conspicere , reprehensionem omnem sibi meritò cumulavit.

34. Humanam mentem in corporea phantasiae imagine , vel in cerebro tamquam in sensorio res immediatè percipere inficientur , necesse est , quotquot Philosophorum nomine gloriantur.

35. Ergo hisce opinionibus allegatis , eorumque Patronis valere iussis , id unum superest , ut Magni Aquinatis mentem , qui quasi lucida ingeniorum pharus mortalibus proluxit , veluti simpliciorem , ac rationi magis consonam amplexemur. Igitur Ang. Praeceptoris idearum theoriam enucleabimus , ac lacertis totis sustinebimus.

36. Non solum conceptiones , et voces , ut praeposterè somniavit insulsa Stoicorum lues , universales dicendae sunt ; sed etiam res , et naturae illis respondentes.

37. Nullum extat universale reipsa , sed solum in intellectu.

38. Naturas universales extra singularia quaeres incassum ; sunt enim ipsae singularium naturae , quae abstractionis beneficio universalitatis nomenclaturam sortiuntur.

39. Universale in Metaphysicum , et Logicum bifidum facimus , de quorum natura , causa , et proprietatibus non iniucunda contexetur oratio.

40. Hic ea omnia temperatè , ut Philosophum decet , pertractare oportet , quae de universalibus ideis fuit Porphyrius solerter admodum prosequutus.

41. Universales naturas ad quinque capita revocamus : ad Genus , Speciem , Differentiam , Proprium , et Accidens.

42. Genus Porphyrio est , unum , quod aptum est multis inesse specie diversis , ac de illis praedicari in quid incompletè. Definitionem probamus.

43. Si differentiae universalitatem agnoscere velis , illius ad speciei inferiora , de quibus in quale quid praedicatur , respectum perpendito. De variis illius , sicut et de generis divisionibus audies me loquentem.

44. Ex genere , et differentia coalescit species , quae de individuis enuntiatur ut tota eorum essentia.

45. Proprium , quod naturam rei necessariò consequitur , quartum constituit universale.

46. Accidens pluribus inesse rebus potest , vel ab illis abesse , sartis tectis earum naturis.

47. Seriem specierum sub uno supremò genere coordinatarum Praedicamentum arbitror describendum.

48. Denario clauduntur numero ab Aristotele recensita. Eccilla. Substantia , Quantitas , caet.

Sub-

49. Substantiae notio adeo obscuritatis fuligine tingitur , ut in illius natura constituenda affatim inter se digradientur Philosophiae Proceres. In exigentia per se subsistendi collocandam esse , mihi , missis magnis Philosophorum non minibus , verosimilius adparet.

50. Accidentium , queis substantia vestitur , ac exornatur , primatum sibi vindicat quantitas , cuius essentia in extensione partium in ordine ad se constituitur.

51. Relatio unius est ad rem aliam ordo , respectusque . Varias subit divisiones , quinque obtinet proprietates , quas data occasione exponere non gravabimur.

52. Qualitas , duce Ang. Praecept. apud nos audit , accidens modificativum , seu dispositivum substantiae in se ipsa.

53. Reliqua Praedicamenta , simul et Postpraedicamenta prosequi fusius , quoniam Dialecticis non multum utilia videntur , rei momentum non exigit : sat erit eorum notionem , partitionemque dare sciscitanti.

54. Quoniam ea non est humanae mentis acies , ut quidquid alijs in animo gerit , dignoscere queat ; inde effectum est , ut adhibitis signis quibusdam cogitationes nostras aliis recludamus : signum finies , quod potentiae cognoscitive aliud à se reprezentat , terminum verò , signum rei simplici apprehensione perceptae. De horum divisionibus dicam non pauca.

55. Nonnullas terminorum proprietates , suppositionis naturam , quinque demum ad suppositiones dignoscendas regulas aperire non renuemus.

56. Omnes ingenii nervos intendamus oportet , ut recte terminos , atque exinde res ipsas mens nostra percipiat ; igitur solerti animo id in curis esse debet , ut terminorum perceptio integra sit , clara , et distincta ; diminutio , obscuritas , et confusio ne irrepant , obnitendum.

57. Attentio , definitio , et divisio , ceu totidem habenda sunt pharmaca , quae obscuritati , diminutioni , et confusioni medentur absdubio.

58. Cum ea sit humanae mentis imbecillitas , ut rebus serio perpendendis difficiliter valeat diu defigi ; iuvat regulas perquam utiles , quibus attentio valeat conciliari , in arena promere.

59. Diffinitio una nominis est , alia rei ; prior proprium nominis significatum , altera naturam rei termino designatae verbis clarioribus explicat.

60. Cum perspectis singulis seorsim partibus , quid sit totum , quod ex eis pullulat , facilius cognoscamus ; divisione utamur oportet , cum vocis significatum pleraque continet involuta , quae unico intuitu distinete percipi nequeunt. Hujus , et definitionis species ex nostratum placito dabimus.

61. Utramque ad sciendi modum , quo incognita reserantur , simul et argumentationem spectare , nihil est cur inficiemur.

62. Perfecta hominum societas sine vocibus labascit, et corruit, cum magna sapientiae pars in eo posita sit, ut alii aliorum intelligent cogitationes; quod frustra conabitur ille, qui non eo, quo debet, modo vocibus utatur. Hinc pro recto vocabulorum usu en canones omni argumentorum copia comprobando.

63. I. His tantum verbis uti debemus, quibus certae ideae affigatur significatio.

64. II. Cavere maxime debemus, ne cogitata nostra obscuris verbis exprimamus.

65. III. Neque uni vocabulo plures notiones debent adfingi.

66. IV. Ab indeterminatis, aequivocis, translatisque vocabulis fugito quam longissime.

67. Ad nostrum equidem palatum haec vocis usu recepta definitio: Sonus hominis ore per instrumenta naturalia prolatus. Qui vox ab homine efformetur, dicere in promptu erimus.

68. Non ex hominum instituto, sed à natura ipsa voces significare sunt, qui asserunt: Ast quisnam, cui mica sit salis, opinionem hanc commentiam esse non videt?

69. Homines plerique omnes ferarum instar diebus multis in terrae visceribus latuisse humani sermonis prorsus expertes ad ravim usque clamitant Lucretius, et Vitruvius; verum eos facimus teruntii.

70. Ante Babelicam confusionem unius labii erat omnium hominum sermo: favet nativus Sacrae Scripturae sensus, si paulo accuratius perpendatur.

71. Verum cum voces fluxae, labilesque, nec diu perennare, nec ad posteros transmitti valeant, eas cogimur alligare scripturis, tamquam signis stabilibus, ad posteros, et absentes commeantibus. De varia apud varias gentes loquendi, ac scribendi ratione non pauca referam, si libens patiaris.

### *Iudicium secunda mentis operatio.*

72. Posteaquam mens nostra rerum ideis perfunditur, alias cum aliis comparat, atque, si idem sint, unam in alia includi; sin minus, excludi percipit: hoc vocatur iudicare.

73. Arrisit Cartesio iudicii actum voluntati proprium adseverare: illius naturam parum habuit perspectam.

74. Expressio iudicij est Propositio; seu oratio unius de alio enunciativa.

75. Ratione materiae, formae, quantitatis, ac qualitatis bene multas patitur divisiones, de quibus, dum volueris.

76. Licet veritatem ardenter desideremus, atque ad eam vehementiori na-

tu-

\* VII \*

turae impetu abripiamur ; obstant tamen nonnulla , idque frequenter , quibus interclusa veritati via , eam è Democriti puto educendi nulla nobis superesse fiducia videatur. En non paucos in iudicia nostra illapsos defectus.

77. Horum in causa sunt intellectus , voluntas , affectus , corporis etiam genius iudiciis nostris illudens.

78. Primas quoque hac in re deferimus vitiosae terminorum perceptioni , praecipitationi , praeoccupationi , imaginationi , sensibus demum licet causis occasionalibus.

79. Mirabile dictu est , quam valide , quamque celeriter nutrices , parentes , magistri , ignara plebs iudicia nostra corrumpant.

80. Verum adminicula in promptu habemus , quibus hosce possimus declinare defectus : dabimus regulas sex , in agone roborandas , ad rectum , et incorruptum efformandum propositionum iudicium.

81. Ni sufficiens adsit rei discussio , et congruum cognitioni iudicium , actum est de recto propositionum iudicio.

82. Improba caecitate , mentis , et cordis stupore arripiuntur Academicci , qui insuperabilibus septam tenebris veritatem venditantes , de eius consequentie desperarunt.

83. Descartes viam commentus est praeiudiciis devitandis , universalem dubitationem ; lubrica admodum , et implexa semita : tam facile ipsi erit , sic veritatem consequi , quam cribro aquam haurire.

84. Ergo omnem prorsus dubitationem à nostris finibus exulare iubemus ? Apage nugas. Quae disputationis causa fit , utilis ; quae de rebus incertis , necessaria.

### *Criterium veritatis , et Critica.*

85. Quoniam diligentis instituto rei examine verum clarescere , ac patefieri dubitet cordatus nullus ; regulam constituere summopere proderit , ad cuius amussim illud beat fieri. En veritatis tessera.

86. In eos tamquam in offensionis petram impingimus , qui sublimia fidei nostrae Mysteria ratione volunt humana metiri : licet omnem eius sphaeram transcendent , his , quae naturaliter novimus , repugnare non possunt : ergo facessat vana Haereticorum gloriatio.

87. Pro rebus intelligibilibus diiudicandis rationis evidentiam optimum habeo veritatis criterium.

88. Sensum recte disporum circa propria sensibilia evidentiam , in his , quae intra illorum sphaeram voluntur , verum esse à falso discernendi notam , si , quod verum est , loquor , pronunciabo.

In

\* VIII \*

89. In factis demum historicis humanae auctoritati fidendum: eius certitudo ultra moralem non protenditur.

90. Ad criticam accedamus, Logicae perquam utilem, imo verò necessariam: haec enim, ut aiebat Cicero, vera docet à falsis secernere, genuina à supposititiis, librorum veritatem ostendit, Scriptorum sensus adaperit.

91. Si retroacta Ecclesiae saecula perlustres, in eis adinvenies emunctae naris. Criticos suo ordine in agone depromendos.

92. Canones perquam utiles, quibus historiae veritas internoscitur, rōganti dabimus; regularum etiam, quarum opera, libros veros à supposititiis secernimus, utilitatem, dum libuerit, ostendemus.

93. Hermeneutica praeclarum est inventum illud, quod aliorum verba, atque sensa intelligenda docet. Peculiares ipsius leges scire desideras? in arena.

*Discursus tertia mentis operatio.*

94. Ratiocinatio illa mentis nostrae actio est, qua unum ignotum iudicium ex duobus iam notis, utpote cum illis connexum elicimus. Oratio, qua id fit, argumentatio audit: eius sobolem recense Exemplum, Inductionem, Syllogismum, caet. de quibus interrogatus.

95. Syllogismi nomine orationem ducimus intelligendam tribus compaginatam propositionibus artificio quodam dispositis: eius divisiones, figuræ, modos, regulæ dabimus tibi libenter.

96. Omnibus syllogizandi modis praestat Demonstratio, cuius et propositiones sunt evidentes, et ordo necessarius. Duplex est, à priori, et à posteriori: earum genesim petenti largiemur.

97. Nonnullas agnoscimus demonstrationes, quae ineluctabiles prorsus sunt, ac invictissimæ: qui hoc adseverare formidat, insaniae mittit radices.

98. In syllogismo demonstrativo conclusionis assensus effectus est, qui à praemissarum assensu producitur effienter.

99. Hinc praemissis demonstrativis semel exhibito consensu, conclusionem elicit mens, cui nefas refragari.

100. Scientia proprius est demonstrationis foetus: illius actus simul cum opinionis actu circa idem obiectum intellectui non inhaeret.

101. Quis tamen fieri, ut opinionis actum cum scientiae habitu copulemus, dummodo nequeat hic in actum erumpere.

102. Neque fides cum scientia potest simul componi, sive de actibus utriusque sermō sit, sive de habitibus.

103. Si tamen is sit fidei habitus, ut nullus exinde actus succrescat, actum scientiae compati evalere disertissime profitemur.

Lo-

\* IX \*

104. Locorum nomine nihil aliud Dialectici volunt , quam sedem , seu promptuarium , ex quo syllogismi medium cogimur eruere. In eorum denario numero exponendo , et explicando nostra insumetur oratio.

105. Sicut male locatis fundamentis nihil tuto construitur , sic vel syllogismi forma , vocibus , aut rebus irrecte dispositis , nulla exhaustur certa cognitio : defectus isti paralogismi vocantur ; quorum numerum , quidve sit eorum natura , roget , qui cupiat.

*Methodus.*

106. Iam Logicae colophonem addituri Methodum attingamus , cuius notione intelligimus modum ordinatum procedendi ad verum inveniendum , demonstrandum breviter , clare , facile.

107. In syntheticam , et analyticam dispergitur. Utriusque discrimen , et leges percontare.

108. Non possum sine stomacho eos audire , qui mathematicae Methodo plus aequo adhaerentes , scientias ea orbatas veluti larvas , nocturnaque spectra contemnunt : illa , aedepol , licet hac nostra aetate nedum in Philosophia , verum in Iurisprudentia , ac Theologia adhiberi solita , omnibus scientiis perfecta , et absoluta adesse nequit ; sicubi tamen in scientiis naturalibus ea utendum , magno opus est iudicio.

109. Quibusnam , quaeso , hoc edisseret Lutherus , omnem Scholasticam Methodum tamquam infantium crepundia vana , ac nugacia reiiciendam ? Eius utilitatem ad haereses suffodiendas probe callentibus ? Turcis tantum , aut Siniis non nisi Alcorani deliria , et Confucii somnia lectitantibus.

110. Quoad Methodum attinet addiscendi , absque praceptorre scientias adire non expedit : seligendus quoque idoneus Auctor , atque probatae doctrinae , in quo studiose versemur.

111. Utilitas disputationis mira est , ( fremat etsi Calvinus ) ac plane exigua : fatendum tamen nihil ea tetrius , si ipsa abutamur. Ne itaque in damnum nobis vertatur , quod ad provectum institutum , obiciens , ac respondentis munia enodare aggrediemur.

**PHYSICA GENERALIS.**

I. Venustissimam , amoenissimamque Philosophiae partem enucleandam adgredior , quae cum totum , quo natura coalescit , intimum , extimumque rimetur , Physica , seu naturae scientia adpellari consuevit. Ea est , quae res naturales , earumque causas , ac phaenomena investigat , atque ex veris principiis ratione , ac experientia firmatis congrua illatione dedit.

C

Ta-

\* X \*

2. Tametsi naturae nomen rebus diversis accomodetur , nos cum Aristotele arripiendum ducimus pro principio , et causa motus , et quietis eius in quo est primò , et per se , et non secundum accidens.
3. Eius ratio materiae , formae , ratiocinanti animae , toti demum composite quadrat opime.
4. Ergo ne idem de Deo , et Angelis dicendum ? Per nos non licet.
5. Violenti , quod naturae oppido reluctatur , haec obtinuit in Scholis definitio : cuius principium est extra passo non conferente vim.
6. Motus à Deo ut supremo rerum omnium Opifice ipsis impressus non est dicendus violentus , sed maxime naturalis.
7. Violentiam tamen creaturis inferre Deus evalet , si tamen particularis agentis induat specimen.
8. Artificialis nomine intellectum iri volumus , cuius principium est extra in ratione practica materiam externam disponente.
9. Artificialibus formis iuvari plurimum motus potest ; ex ipsarum autem penu primitus erui , neutquam.
10. Ea naturae opera , quae artis principatui subiiciuntur , naturalium applicatione virium queunt produci.
11. Plantarum , animalium , hominum resurrectionem imbellem artis potentiam superexcedere ita rei comprobavit eventus , ut mirari omnino subeat , Magnenum hac in parte caecutiisse.
12. Gregalium suorum spes crudas alunt , ac stolidae plebi fortunata tempora adpromittunt Chymici , dum verum aurum ope artis non semel effectum , plenis buccis ariolantur . ; Quò non mortalium pectora cogit auri sacra famē !
13. Arte tamen fieri non posse , nulla firma argumenta demonstrant.
14. In rebus physicis non solum rationi fidendum , sed pericla facta attenda ; sin minus , de veritate invenienda saepe saepius desperandum , nec tenebricosum ei oppansum velum reserabimus.
15. Rectè observanda est hic distinctio phaenomenon inter , observationem , et experimentum : qui eam audire velit , interroget.
16. Neutonus tres sibi compinxit leges , à quibus universam philosophandi rationem pendere arbitratur : ipsum fefellit opinio ; ni enim maius affulgeat lumen , eas ut universim veras reiicio.
17. Iam Physica vel corpora generali quadam notione expendit , vel peculiares eorum species serio examini subiicit : illud Physica generalis , hoc particularis docet.

Cor-

## *Corporum essentia , et existentia.*

18. Haud facile potest investigari , qua mentis vertigine exagitati eò usque insanierint Idealistae , ut corporum existentiam ausi sint inficiari ; ipsa enim conscientiae paccatae , ac sensui optimorum communi sic obvia est , et perspicua , ut nulla nisi Sceptici mens haereat in ambiguo.

19. Corporis physici naturam in trina dimensione constituere placuit Cartesio : fabellam sapere diiudicamus.

20. Nec felioribus ad divinandum ventis ducuntur , qui eam in impenetrabilitate sive actuali , sive habituali autumant collocandam.

21. Muschenbroëkius , et Lockius corporis naturam in abdito esse propugnantes , aenigma solvere sibi visi sunt , sed allucinantur profecto.

22. Igitur in ratione compositae substantiae ad trinam dimensionem accipiendam aptae corporis naturam constituere lubet.

23. Interna rerum primordia sics cum Aristotele definimus : quae nec ex se invicem , nec ex aliis , sed ex quibus omnia fiunt.

24. In quibus autem rebus sint illa constituenda summum gravissimis Philosophis facessit negotium , amplaque suppeditat disputandi materiam : Anaximander molitus est , ea infinita constituere ; stultiorem hac opinione legi nullam.

25. Pantheistae è regione stantes , unum dumtaxat rerum principium admisserunt ; pro arbitrio ariolantur , et fingunt.

26. Nec rerum particulae invicem permixtae rerum primordia dicendae.

27. Epicurus , ac Gassendus rem elucubrare tentantes , atomos , seu indivisibles quasdam particulas rerum principia posuere , quorum argumenta non magis nos movent , quam formica terraqueum globum.

28. Cartesius materiam subtilem , ac secundi elementi globulos rerum primordia stabiliens , rem confectam relinquere arbitratur : nec veri quidem servat speciem.

29. Eodem , quo Epicurus , pede , mihi claudicare videtur Neutonus , dum in primigeniis materiei particulis extensis , solidis , exilissimis rerum principia collocanda iudicavit.

30. ; Saltimne ex mercurio , sulphure , et sale res coalescent ? Nec ad nostrum equidem palatum.

31. Igitur Angelici Praeceptoris systemati hac in parte tenacius haerentes , quam saxo polypus , firmiter sustinebimus , duo esse entis geniti principia matetiam scilicet , et formam , quibus adiungitur privatio , si res in suo fieri spectetur.

Ma-

\* XII \*

32. Materies , quam à forma discretam volumus , primum est uniuscuiusque rei subjectum , ex quo existente omnes coalescant substantiae naturales.

33. Solus Deus potens est illam producere , et destruere : igitur ingenerabilis erit , et incorruptibilis.

34. Certa , ac indubitata res est , et in orbis luce collocanda , dari substantiales formas , quibus et corporeae substantiae constitui , et ad invicem valeant discriminari : earum notionem , ac divisionem summatim exponam.

35. Corruptibiles entium genitorum formae de potentia materiae educuntur.

36. De rationali autem anima idem feret iudicium , qui vel deliret , vel nobis velit illudere.

*Corporum attributa.*

37. Iam corporum proprietates sedulo perscrutemur ; quas inter prima sese offert extensio , quae ita corpoream afficit substantiam , ut absque illa , saltim connotata , nullum possit corpus existere.

38. Extensionem consequitur divisibilitas ; mathematica una est , alia physica ; haec ad certum terminum devenit , quem nullae artis vires praetergrediuntur.

39. Impenetrabilitas illud est corporum attributum , quo , reliquis undeque prementibus , renituntur , et impediunt , ne alia proprium locum simul ingrediantur.

40. Consequitur inde duorum corporum penetrationem naturae vires superare ; cave tamen , ne idem de virtute divina feras iudicium.

41. Nec Omnipotentis operante dextra fieri posse videtur , ut idem corpus à duobus locis quantitative circumscribatur.

42. Non solum impenetrabilitas , sed nonnulla alia , de quibus loquar , in causa sunt passivae corporum resistantiae.

43. Figura , altera corporeae substantiae dos , si Eucli fides , ea est , quae terminis intercluditur.

44. Ad exilissimarum particularum figuram determinandam , si sensus adhibeantur , tempus inutiliter teritur ; ratio tamen convincit , unà , eademque illa omnia donari.

*Spatium , locus , et tempus.*

45. Corpora replere locum nequeunt , quin spatium occupent : illud Clarkio , et Scarella ipsa Dei immensitas est : pervicaces sunt , audaceisque cavillatores.

Neu-

\* XIII \*

46. Neutono visum est , illud esse Dei sensorium : fabulatorem se prodit , et nugivendum.

47. Audaci , liberoque usus est penicillo Orlandius , spatium à Deo , et à corporibus distinctum sempiternum , non factum adseverans.

48. Errore spisso admodum labitur P. de Turre , dum inter extensas substantias non solum primam agnoscit conditam spatium , sed & illimitatum arbitratur.

49. Spatium incorporeum excogitavit Gassendus , à spiritu , eiusque affectionibus diversum : ; Quis inane commentum aequo animo ferat ?

50. Ne hac super re oratio multa fastidium pariat , spatium , quatenus mera est accipendorum corporum capacitas , nihil est reale in se ipso ; secus verò si pro corporum dimensionibus , quae alia continere valent , accipiatur.

51. Utriusque ulnis hanc , quam tradit Aristoteles , loci diffinitionem accipimus : superficies prima immobilis corporis ambientis.

52. Locum nullo refertum corpore dico vacuum ; vel disseminatum est istud , vel coacervatum : utrumque assignabimus.

53. Esto coacervatum vacuum reiiciamus , disseminatum verò , porisque interspersum eò libentius admittimus , quòd nobis compertum sit , isto sublatto , plura naturae phaenomena non ita feliciter explicari.

54. Durationis idea hac definitione circumscribitur : permanentia rei in esse : triplex est ; aeternitas , aevum , tempus , de quibus verba faciam.

*Corporum vires.*

55. Non solum primigeniae corporibus insunt vires , sed potentiae proximae operativa ab actione , & motu discretae penitus.

56. In vivas , et mortuas corporum vires Leibnitius dispertitur : en divisionem aliquo membro mutilam.

57. Vivaे autem vires non ex ratione ponderis , et quadrato velocitatis , sed ex massa , et simplici sunt celeritate aestimandae.

58. Compositae corporum vires sunt in ratione virium componentium.

59. Vis ea , qua corpora se invicem petunt , attractio apud Newtonianos audit : quid autem sibi velint hoc attractionis nomine , lis adhuc est sub iudice pendens.

60. Hanc omnibus inesse corporibus , eamque sive ad magnas , sive ad minimas distantias iura sua exercere ad ravim usque ipsi conclamat : est haec opinio falsa , et reiicienda.

61. ; Quodnam de illis Newtonianorum legibus ad enodanda attractionis

\* XIV \*

phaenomena excogitatis iudicium ferendum? Illae nec veritati consentaneae sunt, et cum Neutoni principiis parum cohaerent.

62. Centripetam, centrifugam, centralemque vires eo, quo à Neutonianis fuere modo conflictae, velut nullius pretii rem, merasque quisquiliis habendas putamus.

63. Quid? Eas libenter admittamus: nec inde eorum sublevari causam vel levissime dubitandum: his enim ad coelestium corporum phaenomena extricanda nec latum unguem proficient.

64. Gravitas ea est adpellitanda vis, qua corpora deorsum tendunt, ac in commune terrae centrum feruntur.

65. Epicureorum sententia de gravitatis origine nullo solido fundamento fulcitur.

66. Nec melioris commatis esse videtur Gassendi opinatio, qui tellurem velut grandem magnetem finxit suis effluviis corpora trahentem.

67. Ad eos, quos somniavit, vortices, tamquam ad sacram anchoram confugere coactus est Cartesius, ut gravitatem explicaret: verum ex illis tam turbidis fontibus ista non exhaustur.

68. A materia subtili, vel à fluido in girum acto sunt qui repeatant gravitatis originem; sed in hoc quoque deluduntur.

69. Quid ergo? Corporibus gravibus intrinsecum inest sui motus principium, quod à generante acceperunt.

70. Gravitas una absoluta est, altera relativa, de quibus data opportunitate disseremus.

71. Omne corpus, cui sit nisus in centrum, gravitate donatur.

72. Sequentia gravitatis phaenomena extricabimus. I. Quid in statera minus pondus, si à centro motus longius abducatur, maius attolat?

73. II. Quid lignum, quamvis aqua levius, ei tamen aliqua sui parte immergatur?

74. III. Quid metallum, licet aqua gravius, in tenuissimas ductum lamellas innatare conspiciamus?

75. Gravia quaecumque suo genio derelicta lineam ad sensum perpendiculari perficient.

76. Gravitas corporum materiei proportionatur.

77. Gravitate uniformiter corpora accelerantur; igitur modo medium non obstat, pari tempore descendunt, cuiusque fuerint ponderis, ac magnitudinis.

78. Ergo velocitas, qua ex eadem altitudine corpora deorsum feruntur, eorum non est ponderibus proportionalis.

79. Obnitente vero medio, ex resistentia, et gravitate velocitas aesti-

man-

\* XV \*

manda : non adspēnndae tamen ratio voluminis , ac corporis figura.

80. Corporum gravitas eadem semper est , quamquam in diversis terrae tractibus constituantur.

81. Corpus liberè descendens sola gravitatis vi variis temporibus spatia percurrit , quae à motus initio computata duplicatam sequuntur temporum rationem.

82. Spatium , quod corpus sibi derelictum vi gravitatis finito tempore describit , dimidium est illius , quod eodem tempore peragraret , si celeritate ultimo acquisita aequabiliter ab initio moveretur.

83. Motus acceleratio , si caetera paria sunt , fit iuxta arithmeticam progressionem numerorum imparium 1. 3. 5. 7. 9.

84. Spatium à corpore confectum in descensu accelerato est ut quadratum temporis consumpti.

85. In corpore deciduo tempus est ut radix quadrata spatii , similiter et velocitas.

86. Velocitatis nomine ea vis designatur , qua corpus dato tempore aliquod spatium percurrit : haec et ad spatium , et ad tempus insumptum relationem involvit.

87. Duo corpora , quae idem conficiunt spatium inaequalibus temporibus , velocitatem habent in ratione temporum inversa.

88. Si verò inaequalia eodem tempore percurrent spatia , velocitates ut spatia erunt absdubio.

*Motus natura , et leges.*

89. Hanc ex Aristotele compilavimus motus diffinitionem ; actus entis in potentia , prout in potentia ; quam , praeente fidelissimo eius interprete Ang. Praec. nostrum erit adperire.

90. Motus in passo , seu mobili subiectatur.

91. Tria tantum motum genera dignoscuntur , ad quantitatem , ad qualitatem , ad ubi.

92. Ut aliquid sit motuum terminus , triplicem exigit conditionem , quas exponere non renuam.

93. Generica , et specifica motus unitas , et distinctio à termino , quem tamquam scopum respicit , exhaustienda ; numerica verò ex unitate subiecti , termini , et temporis.

94. Etsi eidem mobili contrarii motus inesse possint per accidens , per se verò neutiquam.

95. Si corporis moti massam in illius velocitatem ducas , motus quantitatem definies.

Ea-

\* XVI \*

96. Eadem motus quantitas non semper in universo conservatur, nec eadem perseverant vires motrices.

97. Corpus semel in motu positum, ipsum per lineam rectam non potest in infinitum continuare, quocumque etiam obstaculo secluso.

98. Licet nobis sit planè persuasum, motum in aliquibus corporibus semper futurum, ipsum tamen non semper extitisse, fidenter pronunciamus.

99. Motus nequit esse materiei essentialis; Proh Deus quantum hoc ab Spinoza, et Hobbessio distat!

100. Omne quod movetur, ab alio moveatur oportet.

101. Ergo in moventibus, et motis nequit in infinitum procedi.

102. Creaturae immediatè, et proximè motus producunt; etsi à Deo ut universalis rerum omnium origine ipsi profiscantur.

103. Tres, quas Neutonus tradidit motus leges, si universim accipientur, satis non constant: veras, cui placeat, et patienter ferat, referemus.

104. Corpus localiter moveri dicitur, cum novum locum acquirit.

105. Ut corpus sic moveatur, tria concurrunt, vis motrix, alternatio loci, ac determinatio mobilis ad hunc potius, quam ad aliud locum.

106. Nobis probatur quam maximè localis motus divisio in rectum, circularem, et mixtam.

107. Motus vel simplex est, vel compositus; ille, qui unica vi producitur; iste, cum à duplice potentia corpus simul propellitur.

108. In motuum compositione non eadem semper in corporibus celeritas perseverat; si enim vires sint conspirantes, velocius corpus movebitur.

109. Si ab aequalibus viribus è diametro oppositis corpus agi quandoque contingat, illud immotum consistet.

110. Projecta corpora moventur impetu illis à propiciente impresso.

111. Motus verò, quem corpora ab impellente potentia separata conservant, licet à propellente aere non nihil adiuvari possit, ab eo tamen non est penitus repetendus.

112. Motus elasticus is est, quo corpus à suo statu dimotum, ad ipsum redire pergit; vis, quae illius principium est, elastica dicitur. Tribus modis accidere potest, de quibus breviter disseram.

113. Vis elastica aeris ipsi intrinseca est; aliorum verò corporum ab aere poris inclusa suam trahit originem; aliquatenus tamen corporis figura, pororum dispositione, partiumque rigiditate adiuvantibus.

114. Corpus resilire dicitur, cum alteri duro allidens à propria cogitur directione deflecti, et in oppositam plagam tendere: hinc oritur motus reflexus.

115. In reflexione nendum mutatur directio, sed novus quoque motus producitur.

Ve-

\* XVII \*

116. Vera huius motus causa elaterium vel alterius , vel utriusque collidentis corporis adstruendum.

117. Si corpori ad perpendiculum incidenti reflectere superveniat , angulus incidentiae angulo reflexionis erit aequalis.

118. Si vero obliquè incidat , reflexionis , et incidentiae anguli non semper aequabuntur ; quin potius , si physicè loquendum sit , minor semper erit corporis reflexi angulus.

119. Varias tum elasticitatis corporum , tum ipsorum reflexionis leges meum erit in certamine declarare.

120. Pendula rectè dices gravia corpora , quae ab aliquo puncto suspensa , crebras immersiones , et emersiones perficiunt.

121. Germana horum motuum causa est vis gravitatis cohita per filum , aut funem , eiusdem corporis directionem continuò immutantis : aér retro urgens iuvat aliquantum .

122. Haec circa pendulorum motum phaenomena desideranti illico detegentur . I. ; Cur quo pendulum è longiori filo pendet , eò plures edat vibrationes ?

123. II. ; Cur extracto in Boileana machina aëre crassiori , diutius pendula suas edant vibrationes ?

124. III. ; Cur eiusdem penduli vibrationes , etsi aliae aliis minores , isochronae tamen videantur ?

125. IV. ; Cur pleraque alia corpora , ut corda arcus , acus pixidis , à loco quietis violentè abducta , sicuti pendula , pariter oscillent ?

*Statica.*

126. Ad Mechanicam tandem deveniamus , cuius vocabulo motuum scientiam accipimus , qui fiunt opè machinarum .

127. Triplex cum Mechanicis distinguimus motus , magnitudinis , ac gravitatis centrum : quid haec sint , ac de iis , quae dicenda occurrant , referemus .

128. Machina est instrumentum ad motus facilius producendum , vel cuius ope vires duorum corporum diversi ponderis aequantur . Duplex est , simplex , et composita .

129. Recensentur machinae simplices , Vectis , Libra , Axis in peritrochio , Trochlea , Cuneus , Cochlea , et Rotae dentatae : compositae ex simplicibus coalescunt . Cuiusque explicationem , et usum exponemus lubenter .

130. Duo aequalia pondera in aequalibus à centro motus constituta distantiis aequiponderant .

131. Inaequalium ponderum à fulcro aequaliter distantium minori maius praeponderat .

E

Duo

\* XVIII \*

132. Duo pondera vecti applicita heterodromo in aequilibrio manent, quoties distantiae eorum ab hipomoclio sunt reciprocae.

133. Machinarum vires aestimari fas est ex centro motus, et gravitatis.

134. Ponderatis, quae ad motum spectant, pauca nunc de quiete prospiciamus: haec nihil dicit positivum, sed meram motus privationem.

135. Quietem absolutam in corporibus reperiri, incunctanter adseveramus.

## PHYSICA PARTICULARIS.

1. Quae ad corpora generatim pertinent, per summa saltim capita delibatis, rerum ordo id à nobis exigere videtur, ut ad singulas illorum species, mirandamque varietatem mentis aciem coniiciamus. Haec sive coelestia sint, sive terrestria corpora, Physica particularis contemplatur.

2. Solem meridie lucentem negare malunt, quam victrici veritati faces submittere, qui Mundi huius existentiam vel negandam, vel in dubium revocandam autumarunt.

3. Mundum Deum non esse vel pueris matrum mammis applicitis obvium est, et compertum: ovet quantum velit versutiloquus Spinoza.

4. Mira huius Mundi fabrica, ac rerum spectabilium compago ita perspicue sapientiam, ac omnipotentiam effectricem ostendit, ut ipsum ex fortuito atomorum concursu prodiisse audacter adseverare grande piaculum foret; de eo dubitare, dementia.

5. Ergo solus Deus sibi ex se sufficiens hunc adspectabilem Mundum ex nihilo liberrima sua condidit voluntate.

6. Ergo errarunt Democritus, Epicurusque ex aeterna aliqua, et improducta materia illum factum fuisse dicentes.

7. Scripturae asserenti initio temporis utramque de nihilo conditam creaturam spiritualem, et corpoream, angelicam, et mundanam Plato, Aristoteles, aliique nebulas offundere moliuntur: mirum, quod illorum cavilacionum finis non sit, nedum exusta sophismatum pharetra!

8. Non autumnali, sed verno tempore Mundum condidit Deus.

9. Indignum viro philosopho censemus Mundorum asserere pluralitatem: est hoc merum figmentum, nullo fundamento innixum.

10. Mundus in suo genere perfecta res est, ut cui nihil desit, ut sit omnibus numeris absolutus.

11. Illius extensionem, et magnitudinem definire non audemus, licet eam suis limitibus coarctari ultiro fateamur.

12. Mundi figuram sphaericam tamquam quid probabile sustinebimus.

Mun-

## *Mundi systemata , et Armillaris sphaera.*

13. Coelestium motuum investigatio ab artificiali , quam Armillarem vocamus sphaeram , non parum dependet ; est haec solidum corpus , una superficie contentum , cuius lineae à centro ad circumferentiam ductae sunt aequales.

14. Plurima notatu digna in hac sphaera , puncta scilicet , lineas , circulos sex maiores , quatuor minores , eorum nomina , locum in sphaera correspondentem , propria cuiusque munera , et alia huc spectantia in promptu habebimus adsignare.

15. Systematis Mundi nomine nihil aliud ducimus intelligendum , quam variam praecipuarum ipsius partium dispositionem , et coordinationem motibus , Coelique phaenomenis enodandis apprimè accommodatam.

16. Tria sunt , quae potissimum celebrantur , Ptolemaicum , Tychonicum , Copernicanum. Singulorum ordinem , et constitutionem , quidve singula sibi velint , expandam.

17. Ad pleniorum systematum cognitionem nobis haud erit iniucundum referre , quid sit planetae orbita , haec quando concentrica , aut excentrica , quid perihelium , aphelium , linea apsidum , apogaeum , perigaeum , anomalia , directio , statio , retrogradatio , coniunctio , coitus , synodus , oppositio , motus communis , periodicus , et parallaxis.

18. Ptolemaicum Mundi systema et Astronomiae , et Physicae legibus adversatur.

19. Omnes ingenii nervos intendunt Copernicani , conanturque quantum possunt , ut terram circa quiescentem Solem moveri ostendant ; sed nisu irrito ; id enim nondum est demonstratum : hinc systema hoc tamquam thesis nullo pacto valet sustineri.

20. Nihilo tamen minus nec quidquam involvit , quod cum Physicae , et Astronomiae legibus non cohaereat.

21. Atqui quimus hocce Systema tamquam hypothesis assumere ; intellige : huic factae positioni coelestia phaenomena haud repugnare videntur.

22. Tychonis Mundi Systema Astronomiae , et Physicis legibus parùm videtur congruere.

*Coelum.*

23. Coelum illud est ingens spatium , quod supra Lunam , stellasque protensum , terram circumstat. Bipartitum concipiunt Astronomi , stelliferum , ac planetarium.

24. Generationibus , ac corruptionibus subiacere Coelorum substantiam , obvium mihi est , et compertum , si coelestia phaenomena consulantur.

25. Coelorum naturam , quidquid ex adverso obtrudant Ptolemaici , fluidam existimamus.

*Stellae fixae , et errantes.*

26. Corpora in coelesti regione posita duplicem sortiuntur ordinem ; alia fixa , quae eamdem inter se distantiam continuo servant ; alia Planetae , seu errantia , quae non aequa semper à fixis distant.

27. Etsi is ego non sim , qui stellarum fixarum numerum infinitum adseverem ; accuratum tamen , et exactum omnium earum catalogum demonstrare mihi poterit nullus.

28. Galaxia , quae lactea quoque via adpellatur , nihil est aliud praeter minutissimarum stellarum congeriem , et unionem , quae subalbicanem tractum ad serpentarium exhibent conspiciendum ex Austro in Boream tendentem.

29. Stellae fixae sunt corpora magna , propriæ , et fulgentissima luce , veluti totidem Soles , micantia.

30. De stellis , quae novae vocantur , vivida omnium scintillatione , huiusque rei causa , in arena contexetur oratio.

31. Sol luminis parens , et scaturigo à Conditore habuit igneam naturam igni nostro perquam similem.

32. Nigricantes irregularis figuræ , et durationis maculae in Solis facie observantur , quas circumsolares Planetas Solis lumen intercipientes adserere omnino prohibent Astronomorum observationes.

33. Eruntne Solis maculae ipsius montes , aut solida corpora igneo fluido quandoque innatantia ? nunc in fundum decidentia ? Displacet.

34. Igitur illorum vota excipimus , qui harum macularum à Solis exhalationibus trahunt originem.

35. Fluit inde , Solem atmosphera circumvallari.

36. De figura , distantia , magnitudine , motu , ac facilis solaris corporis loquar abunde.

Ad

\* XXI \*

37. Ad Lunam nostra nunc deflectit oratio; est illa opacum corpus, quod à Sole lucem mutuatur.
38. Lunae corpus est scabrae superficie, pluribus nempe depresso, et prominentibus partibus interruptum.
39. Duplex in Lunae disco macularum genus observatur; earum quaedam perennes, aliae fugaces: hae ab umbra prominentiorum partium in depressores projecta, illae à rarioribus Lunae tractibus, minusque lumen reflectere valentibus exurgunt.
40. Nulla sensibili atmosphaera Lunam exornari tenemus.
41. Lunae figuram, distantiam, magnitudinem, motum, et phases, si per vos licet, in pugna expendemus.
42. Sol, et Luna eclipsim saepe subeunt; quo vocabulo nihil aliud, quam luminis in his corporibus defectum, volumus designatum.
43. Deliquio, seu luminis defectione Luna laborat, cum tota, vel aliquâ sui parte umbrae telluris immersa Solis radiis orbatur.
44. Tunc Sol nobis obscurari videtur, cum lunaris corporis interiectu lux eius ad nos usque liberè permeare impeditur: hinc nulla est realis eclipsis Solis, sed unice apparens.
45. Lumine plenilunii tempore destituitur Luna, Sol tantum in novilunio: ergo tenebrae, quae Christo in cruce paciente contigere, naturali Solis deliquio neutiquam adscribendae.
46. Alii sunt à Sole, et Luna Planetae, Jupiter scilicet, Mars, Venus, caet. Eorum motus, alia explicabo.
47. Planeticolarum existentiam Graecorum fabulis totum Aesopum olenibus accensemus.
48. Cometas rectè dixeris coelestia corpora, quae ut plurimum cum coda, crine, aut barba in sublimi diu apparentia, postmodum nostrum intuitum subterfugiunt.
49. Cometarum corpora esse exhalationes, vel nubes in superiori aëris regione succensas quorundam fuit opinatio nobis prorsus invisa.
50. Coelestibus halibus ex Planetis erumpentibus, ac simul coëuntibus, et accensis Cometarum formationem tribuunt nonnulli; verum quo nixi fundamento, prorsus non video.
51. In illorum sententiam libenter descendo, qui eos Planetas esse docent Mundo congenitos, qui certa motus periodo circa Solem revolvuntur.
52. Cometarum barbas, crines, et caudas non aliunde exoriri putamus, quam ex exhalationum ab eorum nucleo ascendentium congerie.
53. Nihil licet oculis corporis Planetarum motu clarius, si tamen istius

F

cau-

\* XXII \*

causam mentis oculis perscrutemur , nihil sane obscurius. Igitur Cartesium, Keplerum , Neutonum magna animi contentione super hac re disserentes ad crism revocemus.

54. Keplerus quasdam commentus est immaterias species , quae à Sole in centro Planetarum collocato egredientes , prehensa sidera circumferrent: nihil sane praeter lucidum vividæ imaginationis inventum.

55. Cartesius , nescio quo flante Aquilone , magnum mentitus est vorticem cuncta sidera exigitantem.

56. Ad universalem attractionem tamquam ad lydium lapidem aufugit Neutonus ad motus Planetarum enodandos : tanti Philosophi enthusiasmus minimè probamus.

57. Igitur si in re implicata , et cimmeriis tenebris obscuriori aliquid fas est coniectare , coelestia corpora ab Angelis moveri arbitramur. Id unum pluribus in locis tradit vir summus , immortalis Aquinas.

58. Vel prima fronte videtur esse planissimum , Lunam , Solem , ac reliqua coelestia corpora in haec sublunaria influere.

59. Licet autem siderum influxum in ista inferiora agnoscamus , non ita profecto cucurbitae sumus , ut illum ad hominum voluntates protendamus.

60. Futuros eventus è corporibus coelestibus necessario profuentes praedicere Astrologis per nos licet ; nuspian verò infallibiliter contingentes , aut liberos voluntatis.

*Chronologia.*

61. Cum ex 1. Geneseos cap. Sol , et Luna facta sint , ut dividant diem, ac noctem , et sint in signa , et tempora , et dies , et annos , nonnulla hic de temporum doctrina , seu Chronologia subiungere non abs re erit. Igitur nemiam sub pallio habere videamur , aliqua ex chronologicis elementis apud Cl. P. Altieri elucubrata aperire satagemus.

*Elementaris sphaera.*

62. A iucundissima coelorum , astrorumque contemplatione ad terrestria descendimus , elementarem Mundi regionem , quaeque in ea degunt corpora, animo inspecturi. Illa complectitur totum spatium , quod Luna sua orbita circumscribit.

63. Ignis , inter elementa praestantissimus , ea est materialis substantia, cuius actione efficitur , quod quorumdam corporum partes exsolutae in fumum , flamam , et vapores convertantur.

Par-

\* XXIII \*

64. Particularum succensi corporis celerrimum motum ad ignem prae-requiri fatemur ; in eo tamen ignis naturam consistere totis lacertis ab-nuendum.

65. Ignis est specialis quaedam materia subtilissima , summè solida , quae per omne locum , ac corpus dispergitur.

66. Eadem prorsus est ignis , ac lucis materia.

67. Suadet non una , sed multiplex ratio , ignem gravitate donari.

68. Quid sit excitatio , propagatio , ac ignis extinctio , quidve sibi velint dilatatio , solutio , liquatio , ebullitio , inflammatio paucis expediam.

69. Electricitatis nomine ea vis significatur , qua nonnulla corpora attritu calefacta , leviora corpuscula attrahunt , aut repellunt , scintillant , lenemque auram versus vicinam manum emittunt.

70. Corpora alia natura sua , alia per communicationem electrica. Varia , eaque mira observantur electricitatis phaenomena , de quibus in certamine , si velis.

71. In assignanda ignis electrici natura varia varii excogitarunt ; quo modo eam exponant Nolletus , et Franklinus , quin ulli eorum victas demus manus , roganti ostendemus.

72. Aër est fluidissima quaedam materies , quae tellurem undecumque cingit , eaque replet spatia , quae ab aliis corporibus relinquuntur.

73. Opinatus est Gravesande aërem nihil esse aliud praeter vaporum , ac exhalationum congeriem , à cuius sententia puta nos prorsus alienos.

74. Non secus ac alia corpora aërem gravitate donari , si mihi , quod sentio , liceat loqui , adseverabo.

75. Inter aëris proprietates hae præ caeteris demiranda , quod valde comprimi possit , ac dilatari.

76. Liquorum ascensus in tubis capillaribus à premente externo aëre non est repetendus.

77. Nec fluidi viscositas , et ad vitri latera adhaesio est vera causa , cui liquorum elevatio sit in his tubis tribuenda.

78. Oleum , et operam perdidit Neutonus , dum per vim tuborum attractricem liquorum elevationem explicare contendit.

79. Aqua est speciale quoddam fluidum humidum , limpidum , excolor , insipidum , inodorum.

80. Aqua particulis conflatur , quae subtilissimæ sunt , immutabiles , ac durissimæ.

81. An compressioni subiaceant huius elementi partes , curiosum quaesitum est , quod multorum Physicorum exagitavit ingenia ; ego vero utriusque sén-

\* XXIV \*

tentiae fundamenta proponam , cum certò aliquid definire non audeam. Quae-  
nam quoque sit particularum aquae figura , adsignare non renuam.

*Tellus , et Mare.*

82. Terra viventium sedes , et domicilium est corpus aridum , fixum , quod  
neque aqua solvi , nec ignis actione liquari potest.

83. Caput nostrum obtegere ducimus asserentibus Terrae figuram esse  
sphaericam sensibiliter.

84. Auxiliis Regum Catholici , et Christianissimi aevo nostro diremptum  
est , ac citra dubium perspectum , Terram figura perfectè sphaericà non exor-  
nari ; sed esse sphaeroidale corpus instar caepae configuratum , ad polos de-  
pressum , et sub aequatore elongatum.

85. Montibus initio temporum Tellurem fuisse onustam facile agnoscer  
quisque , si vel summa tantum facie Scripturae Sacrae inspiciantur.

86. Conchilia , pisces , aliaeque marinae exuviae , insecta , fructus , et ve-  
getabilia ex plurium montium visceribus excavantur : quo pacto haec evenire  
possint , data occasione in medium proferemus.

87. Ignem electricum in terrae cavernis concitatum causam agnoscent me-  
tuenda perruptiones montium ignivomorum , illaeque succiones , quibus ter-  
ram tremere formidamus.

88. Grandem illam aquarum copiam , quae in unum locum congregatae  
magnum terrestris superficie partem occupant , Deus adpellavit Mare ; huius  
affectiones salsedo , amarulentia , et aestus.

89. Maris salsedo ex particulis salinis , quas ex variis fodinis aquae lam-  
bunt , nata est ; amarities verò ex bituminosis marinae aquae commixtis.

90. Inter maris diversos motus nullus profectò Philosophi inquisitione  
dignior mirabili illo iam ab antiquis temporibus salutato nomine aestus mari-  
ni ; quo vocabulo fluxum aquarum versus litora , hincque recessum intelligi-  
mus ; huius phaenomena diurna , menstrua , annua ; singula exponam.

91. Nullae alii hypothesi aptius congruit hoc tam singulare phaenomenon ,  
quam Lunae motibus ; quo tamen pacto id fiat , à nobis ignorari ingenuè  
contestamur.

92. Quamvis fontes , ac flumina à pluviis , solutisque nivibus ut pluri-  
mum oriri arbitremur ; nihil tamen prohibet quominus quorundam scaturi-  
ginem Mare assignemus.

### *Meteora.*

93. Phaenomena in sublimibus regionibus adparentia Meteora vocamus: ad quatuor revocantur classes ad aquea, ignea, emphatica, et spirantia.

94. Halitus, qui è terraquo globo promanantes, in terrestrem atmosphaeram attolluntur, abundam suppeditant Meteoris materiam.

95. In Meteororum aqueorum censem referimus, Nebulam, Nubem, Auram serotinam, Rorem matutinum, Pruinam, Pluviam, Nivem, et Grandinem. Singulorum naturam eviscerabimus.

96. Sunt illa ignea Meteora; Fulgur, Tonitru, Fulmen, Aurora Borealis, Lampas, Stellae decurrentes, Caprae saltantes, Draco, Clypeus, Columna, Pyramis, Stipula, Castor, et Pollux, ignis fatuus, et lambens.

97. Fulgur, Tonitruum, et Fulmen suam ducunt originem à magna ignis electrici copia ab una nube ad aliam, aut à nube ad terram, vel ab ista ad nubem percurrentis.

98. Aurora borea non ignobile hoc saeculo habetur Meteororum igneorum genus: illius materiem ab inaequali vi electrica vaporum, ex terra in atmosphaeram ascendentium, repetimus.

99. Reliqua ignea Meteora in arena explanabimus.

100. Meteora emphatica vocamus, quae, licet in aëre non existant, ex varia tamen radiorum lucis reflexione, et refractione ibi spectatoris oculo conspicuntur. Sunt autem Iris, Halo, Parhelium, Parascelene, et Virgae.

101. Si radii Solis in roridae nubis guttulas incidentes, duplicem subeant refractionem, unamque reflexionem, Iris habebitur primaria; si autem bina reflexione, et refractione afficiantur, secundaria adparebit.

102. Caeterorum, quae superfluunt emphatica phaenomena, genesim aperiemus.

103. Ventus, qui inter spirantia adnumeratur Meteora, à sublato aëris aequilibrio exoritur.

### *Corpora viventia.*

104. Ea corpora vivere dicimus, quae motus, aliarumque vitalium operationum radicem, et principium habent, quod animam nuncupamus.

105. His consonare volumus, qui animam in vegetantem, sentientem, et rationalem disperciuntur.

106. Ab una tantum anima omnes viventis operationes profluunt, licet in illo plura vitae genera conspiciantur.

\* XXVI \*

107. Vegetativa anima donantur plantae absque sensatione.  
108. Nulla planta sponte , seu ex putri materia generatur ; sed omnes  
ex specifico semine.  
109. Nutritivum plantarum succum solam aquam ineptè dixeris , demptis  
solutis salinis , oleosis , terreisque particulis.

*Anima sentiens.*

110. Sentientis animae nomine intelligimus intraneum principium illud,  
cuius vi animalia suas vitales operationes exercent.  
111. Nullius , etsi vilissimi animalculi ortum in putrida materia colloca-  
mus ; sed omnia ex ovulo generantur. Veritatem hanc olim viderat oculatis-  
simus Augustinus.  
112. Gassendo anima belluina nihil nisi subtilissimus ignis : quod ipsi  
tantopere arrisit , nos improbamus.  
113. Belluae mera automata non sunt , quae horologiorum adinstar solis  
mechanicis legibus evolvantur.  
114. Singulis belluinis corporibus , in quibus tamquam in ergastulo pec-  
cati sui poenas luerent , totidem Bougeant praefecit Doemones , à quibus bru-  
torum profluant operationes . ? Quis amabo , cui cor sapiat , hoc monstrum  
credat ?  
115. Recentioribus belluinae animae nostris quidem inferiores , sed na-  
turà verè immateriali praeditae visae sunt : nobis una mens est ; non op-  
pugnamus.

*Sensationes , et Sensus.*

116. Sensatio est actio , quae oritur in anima ex impressione obiecti ma-  
terialis , et mutatione in corpore facta.  
117. Sensus duplex est externus , et internus. Experientia edocemur ,  
quamlibet animae sensationem pendere à motu nervorum , qui à cerebro orti  
in sensuum organa terminantur.  
118. Visus , Auditus , Odoratus , Gustus , et Tactus totidem sunt sensus  
externi.  
119. Visus organum neque humor est crystallinus , neque choroides ; visio  
in retina constituenda est.  
120. Lucem adpellamus , quidquid visus organum ita afficit , ut visio in  
anima habeatur. Eius natura adeo vel lynceis Philosophorum oculis abstrusa ,  
ut in illa determinanda primi subsellii Physici haesitent , et confundantur ;  
quamque in ipso rerum primordio omnipotentissima sua manu Deus à tene-  
bris distinxerat , ipsis illi immerserint , ac implicarint. In

\* XXVII \*

121. In pressione materiae lucido corpori circumfusae ; aut in undis in fluido quodam elastico excitatis nonnulli lumen constituunt : obscura lucis origo.
122. Lumen consistere videtur in particulis substantialibus , quae ab ipsa corporis lucidi substantia promanantes , ab eo , veluti à centro celerrimè diffunduntur.
123. Non instantaneam , sed succesivam dicimus lucis propagationem ; eius radii per lineam ad sensum rectam diffunduntur.
124. Reflexio luminis est retrogressio radiorum illius ex superficie corporis in quod impingit.
125. Ubi primùm lux in politas incidit superficies , ita reflexionem patitur , ut motus reflexi angulus sit aequalis angulo incidentiae.
126. Lucis reflexio non à viribus repellentibus , ut Newtonianis arrisit ; sed ex impactu in solidas corporum superficies est repetenda.
127. Si radii lucis , eò , quòd à rariori in densius medium , vel è contra transierint , pristinam mutent directionem , aliamque superinduant , refractionem habebis. Dispositio ad refractionem subeundam refrangibilitas appellatur.
128. Ex radiis diversimodè refrangibilibus solare lumen constituit Neutonus ; illi penitus consentimus.
129. Omne homogeneum lumen proprium habet colorem suae refrangibilitati respondentem , qui nullis reflexionibus , aut refractionibus immutatur.
130. Ex coloratis omnibus luminis radiis invicem permixtis exurgit albedo ; si aliqui dumtaxat commisceantur , secundarii coalescunt colores , nunc septem primariis similes , modò ab illis diversi.
131. Corpora opaca his potiùs , quàm aliis affecta coloribus conspicimus , quòd radios determinatae refrangibilitatis caeteris copiosius reflectant ; apparent alba , quae omnes satis vividè reflectunt ; nigra , quae exiguos regerunt radios.
132. Primarium Auditus organum in expansis nervi auditorii fibris consti-  
tuere libet.
133. Auditus obiectum sonus. Tremulo minimarum partium motu effici-  
tur , ut corpus sit sonorum.
134. Mediis celerrimis aëris undulationibus , et oscillationibus ad aures protenditur sonus.
135. Per alia etiam fluida ab aëre diversa aditus patet soni propagationi.
136. Nec obstant solida corpora , ut sonus , etsi languidiùs , per illa diffundatur.
137. In exploso tormento bellico vel clausis oculis conspicimus succesivam soni propagationem.

Se-

\* XXVIII \*

138. Sequentia circa sonum problemata resolvemus. I. ; Cur aere campano , in quo varii circuli ad instar chordarum diversae crassitie , et longitudinis reperiuntur , percusso , non percipientur consonantia , sed unisonum ?

139. II. ; Cur disrupta in violina chorda , reliquae pulsatae acutiores edunt sonum illo , quem antea dabant ?

140. III. ; Cur caeteris paribus , velocius oscillent chordae breviores , item chordae tensiores , etiam et subtiliores ?

141. IV. ; Cur sonante una corda , vicina consona minime pulsata incipiat sonare ; dissonae vero in pari distantia positae quiescant ?

142. V. ; Cur sonis quibusdam aures suavissime afficiuntur , exasperantur in dissonantiis ?

143. Sonorae aëris undae , dum duro allidunt obici , reflectuntur , istoque reflexo motu voces ingeminant , quas echo nominamus.

144. Nerveae papillae , quae per membranam interiores narium anfractus operientem disseminantur , olfactus organum sunt.

145. Si particulae salino-sulphureae ab odore corpore avolantes ad nares usque deveniant , odores habeto.

146. Papillae nerveae , quae à quinto cervicalium nervorum pari promanantes , per totam lingua inaequaliter protenduntur , primum obtinent ad gustus organum constituendum.

147. Sapores praecipuam agnoscent causam salinas sapidi corporis particulæ.

148. In nerveis pariter papillis per rete malpighianum in cuticulam extensis tactus organum constituimus.

*Calor , et Frigus.*

149. Igneæ particulae perturbato , celeri , ac expansivo motu affectae calorem in sensorio efficiunt.

150. Frigus , quod in obieto inspectum nihil est aliud praeter caloris defectum , à nitrosis particulæ motum particularum corporis cohibentibus producitur.

**ETHICA.**

1. Ethica , cuius origo et coelstis est , et divina , ea est praecipua Philosophiae pars , quae in dirigendis , riteque informandis hominum moribus occupatur.

2. Mos , licet alias alibi subeat acceptiones , hic tamen usurpatur , prout inclinationem quamdam naturalem , aut quasi naturalem ad aliquid agendum significat.

Ethi-

\* XXIX \*

3. Ethicae obiectum materiale , humani actus ; formale , moralitas , cuius illi sunt capaces ; ratio verò sub qua prima practica principia.

*Ultimus Morum finis.*

4. Actiones illae , quae prae fulgente rationis lumine , ac voluntatis libero accedente consensu eliciuntur ab homine , humanae dicuntur , reliquae hominis.

5. Plumbeus , obtusaeque mentis est procul dubio , qui probe non calleat , totius humanae vitae finem ultimum statuendum , in quem omnes hominum operationes , veluti in scopum colliment.

6. Ille est , ut ait M. P. Aug. quem propter se tantum volumus , caetera verò propter ipsum.

7. Finis ultimus in particulari , et determinata actione non est nisi unus : solidissimae sunt D. Thomae rationes , quibus assertum hoc demonstratur.

8. Perditi homines secundum libitum effraenis voluntatis , passionibusque depravatae finem sibi praestituunt , boni verò illum quaerunt ad rectae rationis regulas exactum : hincque conspicere licet largum bonos inter , et malos discrimen.

9. In quo potissimum sita sit summa hominis felicitas , vehementius olim inquirebant Philosophi lumine fidei destituti , magnamque patiebantur angustiam prae clara eorum ingenia , pro divitiis , honoribus , gloria , fama , potestate , corporeis voluptatibus , virtutis exercitio hinc inde dimicantes . Singula vocemus in censem.

10. Pestilentissima illorum colloquia semper devitabo , qui originis suae , ac Conditoris oblii ; ut suis , aliorumque sceleribus impunitatem sponderent , rationalis creaturae beatitudinem in divitiis , honoribus , gloria , potestate si tam esse arbitrabantur.

11. Ecquis foedatissimos hos homunculos audiat sine stomacho veram hominis felicitatem in corporis voluptatibus collocandam temere , arroganter que blaterantes ? Erroris Mahometis propola , non ego.

12. Stoici , viam termino commiscentes , summam hominis beatitatem in virtutis exercitio reponebant : velis , remisque fugiendi.

13. Maneat ergo altius erigendam mentem nostram , totamque , ac plenam hominis prosperitatem esse Deum ter O. M. qui solus replet in bonis desiderium nostrum.

14. Ex his , quibus in hac mortali vita undecumque circumvallamur miseriis , non tantum coniectare licet , sed ad oculum cernimus , et manibus contrectamus , non in hac , sed in altera tantum feliori posse nos perfecte bearri.

15. Licet intellectus , et voluntas ad felicitatem concurrant , si tamen metaphysice loqui velimus , formalis beatitudo neque in his duobus actibus simul sumptis , nec in actu voluntatis venit constituenda.

16. Haec est ergo formalis beatitudinis essentia , ut ad intellectus actum spectet , et quamcumque alterius potentiae operationem refugiat.

### *Actus voluntarii , eorumque regula.*

17. De fine recte pergimus ad media , queis veluti gressibus homo ad imaginem Dei factus , ad suum tendit prototypum assequendum : haec sunt actus morales , à voluntate sub directione rationis eliciti.

18. Plene , eleganterque tradidit Aristoteles hanc voluntarii definitionem: cuius principium est ab intrinseco cum cognitione finis ; varie partitur , sicut in arena audies.

19. Involuntarium prorsus censemus actum , qui ineluctabili elicitor violentia.

20. Voluntario excidium affert ignorantia , quae dicitur antecedens . ; Num etiam consequens , et concomitans ? Dicam in circo.

21. Actio à voluntate metu extorta , estò sit involuntaria secundum quid , est tamen simpliciter voluntaria.

22. ; Quid de concupiscentia antecedenti dicam ? Quod licet voluntarium absolutum adaugeat , minuat tamen perfectum , liberumque.

23. In actu morali entitatem , et moralitatem seiunctas conspicere possumus ; illa est actio vitalis , et libera , haec consistit in ordine , quem ratio superinducit in liberis actibus.

24. Licet nonnullae hominis actiones secundum speciem sumptae sint in differentes , dum ab illo deliberate procedunt , malitia , bonitateve superinduuntur.

25. Non ullam totius honestatis , ac bonitatis moralis primam scaturiginem , praeter aeternam legem agnoscimus ; rationem scilicet divinae sapientiae omnia in debitum finem dirigenis.

26. Est et alia propinquior moralitatis regula , quam nisi examussim inseetur homo multoties necesse est à bonitate deflectat : eccillam : humana ratio dictitans , quid bonum sit , quidve malum.

27. Conscientia est iuxta Ang. Praec. iudicium intellectus practici , quo quis applicat suam scientiam practicam ad actum particularem. Eius munera et divisiones referre paratus incedam.

28. Lex ita apud D. Thomam audit : ordinatio rationis ad bonum commune ab eo , qui praeest communitati , promulgata : eius divisiones , et conditiones ex Isidoro placebit indicare.

Na-

\* XXXI \*

29. Naturalis lex , alius aeternae legis surculus , constans adeo , et inva-  
riabilis est , ut nec mutari queat , nec solvi dispensatione : eius tamen mate-  
ries plusquam semel ab initio passa est vicissitudinem.

*Passiones.*

30. Impetus illi animi nostri , qui ex appetitu sensitivo pullulant , passio-  
num nomine designantur : illarum idea hac diffinitione dignoscitur : Motus ap-  
petitiae virtutis sensibilis ex imaginatione boni , vel mali cum transmutatio-  
ne corporali.

31. Quamvis passiones omnes ceu nocuas Stoici traducerent , modò ratio-  
nis limites non excedant , et ad finem dirigantur honestum , cur condemnen-  
tur , non invenimus.

32. Omnem passionum turmam ad duas classes reducimus ; aliae partis  
concupiscibilis , aliae irascibilis : sex numerantur illae; Amor , et Odium , De-  
siderium , et Fuga , Gaudium , et Dolor ; istae verò quinque ; Spes , et De-  
speratio , Audacia , Metus , et Ira , quae caret contrario.

33. Harum omnium notiones , causas , effectus , non pugnaci , non con-  
tentiosa , sed quieta , sedataque oratione dabimus , fideliter referentes , quae  
de his erudite , concinneque scripsit Cl. Goudin.

*Virtutes , et Vitia.*

34. Virtus egregie ab Augustino definitur : Bona qualitas mentis , qua re-  
cte vivitur , et nemo male utitur.

35. Ea est virtutis moralis indoles , ut in medio posita esse debeat , eaque  
nemo propriè , et per se possit abuti.

36. Earum semina nobis solers indidit natura , sed habitus ipsi iteratis a-  
ctibus producuntur.

37. Intellectum practicum , voluntatem , et sentientem appetitum , qua-  
tenus in homine rationi coniunctum , totidem veluti sedes agnoscent morales  
virtutes.

38. Virtutes , quae perfecte adultae , imasque radices egerunt , arctissimo  
foedere copulantur , secus tenerae , ac imperfectae.

39. Ang. Praec. vestigia prementes , virtutem moralem dividimus in Pru-  
dentiam , Iustitiam , Temperantiam , et Fortitudinem , seu quatuor cardines ,  
queis omnis bona , honestaque vita vertatur.

40. Ergo earum naturam , et partes , placida oratione operosae aleae dis-  
crimini non subiecta , enucleaturi , chorum ducimus à Prudentia , quae vir-  
tus est , intellectum circa agibilia rectificans.

Ra-

\* XXXII \*

41. Ratio, Intellectus, Circumspectio, Providentia, Docilitas, Cautio, Memoria, et Solertia, seu Eustochia octo sunt integrantes Prudentiae partes.

42. Totidem subiectivae adsignantur; Prudentia nempe Monastica, Gubernatrix, Oeconomica, Politica, Monarchica, Aristocratica, Democratica, Militaris.

43. Eubulia, Synesis, Gnome, veluti partes potentiales Prudentiae famulantur. De iis omnibus Prudentiae partibus, sicut et caeterarum virtutum, quidquid fuerit scitu dignum, edisseram tibi roganti.

44. Iustitia rerum publicarum custos, perpetuumque humanae societatis vinculum, habitus est, secundum quem aliquis constanti, et perpetua voluntate ius suum unicuique tribuit.

45. Huius sunt partes integrales declinare à malo, et facere bonum; subiectivae Commutativa, Distributiva, et Legalis; ad hanc Epikeia spectat.

46. Virtutes, quae adiunguntur Iustitiae, ac proinde partes eius potentiales habentur, Religio, Pietas, Observantia, Veritas, Gratitudo, Iustitia vindicativa, Liberalitas, et Amicitia.

47. Iudex iuxta allegata, et probata contra privatam scientiam reum iudicare tenetur; ad id enim compellitur publica, qua fungitur, potestate.

48. Temperantia honestatis, dignitatisque hominis supra pecudes vindex, scite à Tullio describitur: Rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, et moderata dominatio.

49. Duas huius virtutis integrales partes enumerat Ang. Doct. Verecundiam, et Honestatem. Species eius quatuor habentur, Abstinentia, Sobrietas, Castitas, et Pudicitia. Sunt tandem virtutes adiunctae, Continentia, Mansuetudo, Modestia; haec insuper in Humilitatem, Studiositatem, Modestiam morum, et cultus, et Eutropeliam partitur.

50. Fortitudo Herorum propria dos, et praecipuum decus dicitur à Cicerone, considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio.

51. Duo sunt huius virtutis actus aggredi, et sustinere; partes quasi integrantes Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, et Perseverantia.

52. Viri magnanimi characteres ex D. Thomae doctrina recensebimus, eosque cum virtute humilitatis, cui è diametro opponi videntur, optime cohaerere ostendemus.

53. Non fortitudinis actus, sed furoris est, aut ignaviae seipsum nec attrectare, etsi taedio vitae, morbis, egestate, aliisque calamitatibus ingruentibus.

54. Vitium virtuti oppositum, et inimicum definiri lectissime valet, mala qualitas mentis, qua male vivitur, et nemo bene utitur.

Ea

\* XXXIII \*

55. Ea nobis arridet, quam D. Augustinus tradit, peccati definitio: Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam.

*Hominum officia.*

56. Quid, cui, quoque pacto homo praestare teneatur, officii nomine designamus: humana officia sunt sane plurima, quia multis legibus obligamur.

57. Si proprio muneri cumulatim facere satis desideramus, sobrie, iuste, et pie in nosmetipsos, proximos, ac Deum vivamus: hinc triplex hominis officium, in Deum, se ipsum, et proximum.

58. Exitere teterimi ad extremum usque (monstra potius dixeris) homunculi perditissimi, qui externum Dei cultum evertere admitentes, eum superstitione imbutum, humanumque commentum ore nimis duro ausi sunt appellare. Verum quis, quaeso, eorum insaniam non videat, lugeatque? Ergo unus colendus Deus nedum interiori cultu, qui spiritum ei subiiciat; verum et externo, nostrum corpus, resque extiores in ipsius famulatum mancipando.

59. Interni cultus propria sunt amor, timor, obedientia, fiducia, et spes; invocatione vero, gratiarum actione, ac religiosis ritibus supremum Divini Numinis in nos dominium obtestamur.

60. Tria sunt hominis erga se ipsum officia, alia ad mentem spectant, quaedam ad corpus pertinent, nonnulla demum externum respiciunt statum. Quid homo in his omnibus sibi debeat, quidve aliis praestare teneatur? Loquar ex ordine.

**M E T A P H Y S I C A.**

1. Imperiti rerum metaphysicarum osores ipsam iniquius criminantur, despiciunt, ad quisquilias, et purgamenta amandantes. Verum fungum habent pro cerebro. Ecquis namque aequus rerum estimator Metaphysicam scientiam, quae circa res supra sensibilem materiam positas tota occupatur, caeteris omnibus infinita laude non anteponat? Quis nisi ineptissimus homo in Coelum usque non ferat?

2. Age tandem. Eius obiectum materiale quocumque est ens reale, formale vero communis ratio entis ab omni materia abstracti.

*Ens in communi.*

3. Nihil ente notius. Illud ita definit Ang. Praec. cuius actus est esse. Variiae sunt eius divisiones; de quibus in agone.

4. Principiorum genera tria distinguimus, generationis, de quibus iam in

\* XXXIV \*

Physica , compositionis , et cognitionis , de quibus nunc agendum.

5. Variis , solidisque principiis innixa est Ontologia , quorum omnium est primum , impossibile est idem simul esse , et non esse , quo adiunguntur refractarii , et contumaces splendenti veritati caput aperire.

6. Principia entis metaphysica sunt actus , et potentia. Multifariam dividuntur : hac de re , sicut et de eorum notionibus , in palaestra.

7. Nihil reperire est sine ratione sufficiente cur potius sit , quam non sit , et si totum , quò latius patet , terrarum orbem perlustres.

8. Entis possilitas intrinseca , et absoluta in rei essentialibus , ut non repugnantibus , consistit , quae proinde à Dei voluntate non pendet ; sed extrinseca dumtaxat.

9. Rei essentia nihil est aliud , quām quo primò res constituitur , estque eorum , quae enti actu insunt , origo.

10. Rerum essentias , utpote absolute necessarias , Deus nec minimum quit mutare : hīc caecutit Cartesius.

11. Nomine existentiae perfectionem illam accipimus , per quam res complete , et ultimate sistitur extra causas.

12. Quaeri à quibusdam solet , utrum in omni creato ente essentia , et existentia distinguantur , et quomodo ? Ego verò satis perspicuum esse arbitror , essentiam , et existentiam realiter distingui.

13. Subsistentiae proprium munus est naturam ita in se ipsa sustentare , ut alteri ad essendum , et operandum communicari non egeat.

14. Est haec aliquid positivum , et ab essentia creata reapse distinctum.

15. Unitas , Veritas , et Bonitas tres entis proprietates transcendentales à Philosophis recensentur.

16. Unum dicitur , quod est à quocumque alio divisum. Triplex est entis unitas , generica , specifica , et numerica.

17. Individualis substantiarum unitas , et multiplicatio ortum ducere videntur ex materia quantitatem connotante.

18. Subiectum formaliter sumptum causa est unitatis , et multiplicationis numericae accidentium.

19. Gradus metaphysici nec realiter , nec actualiter formaliter ex natura rei , sed tantum virtualiter distinguuntur.

20. De veritate , et bonitate , eisque contrariis falsitate , et malo rationem reddam.

21. Infinitum , ut ex ipsa vi nominis liquet , est , quod ullis non clauditur terminis : aliud categorematicum , aliud syncategorematicum.

22. Nullum , quantumcumque coneris , uno excepto Deo , infinitum actu secundum essentiam reperies.

Cau-

\* XXXV \*

*Causae.*

23. Causarum cognitionem sublimem adeo , et eximiam Hesiodus existimat , ut in ea huius mortalis vitae felicitatem reposuerit. Hoc causae nomen , licet triplicem admittat significationem , nos eam cum D. Thoma definimus , ad quam sequitur esse alterius physica consequuntione.
24. Quatuor causarum genera ; Materialis , Formalis , Efficiens , Finalis ; nec plures , nec pauciores.
25. Quaelibet causa suum effectum praecedit , licet non semper prioritate temporis , saltim prioritate naturae.
26. Causa materialis , et formalis intrinseca sumptae divisim effectus sui nobilitatem non aequant.
27. Rerum ordo postulat , ut causa finalis princeps sit effectu nobilior : rectum hunc ordinem sola agentis deordinatio potest deturpare.
28. Quantacumque effectus perfectione fulciatur , causam aequare potest , non superare.
29. Quid per vulgatum effatum , causae sunt sibi invicem causae , intelligendum sit , nostrum erit edisserere.
30. Causa efficiens est principium illud , à quo profluit rei productio. De eius divisionibus , ni quaeras , altum nobis erit silentium.
31. Ratio principii activi competit substantiis corporeis , illique effectus , qui cernuntur in mundo , verae sunt earum effectiones.
32. Causa instrumentalis est , quae agit virtute alterius , quod triplici evire potest modo ; de quo , sicut et de eius divisionibus interroga.
33. Ratio instrumenti id exigit , quod à causa principali moveatur.
34. Nusquam vero instrumentalis causa effectum principalis produceret , ni illi insit activa aliqua vis , qua cause principi cooperetur.
35. Finis recte dicitur , cuius gratia aliquid fit. Vera est , et realis causa.
36. Alius est finis ultimus , intermedius , cui , cuius gratia , caet. de quibus coram.
37. Malo tamquam fine non movemur , solum enim bonum , vel id , quod aliqua boni larva fucatur , potest humanae voluntatis affectus terminare.
38. Quamvis bonitatis apprehensio praerequiratur , ut voluntatem finis alliciat , si acutius finalizandi rationem inquiras , uni tantum , et soli bonitati primatum adscribimus.
39. Democritus , Leucippus , eosque infelici sequutus pede Epicurus , ut Religionis metum radicibus convellerent , Divinam Providentiam de medio tol-

len.

\* XXXVI \*

Iendam , ac omnia atomorum ludo tribuenda , nobis obtrudere conantur ; ast illorum commentum ita naturalis ratio , ac experientia perstringit , ut se delusos agnoscere debeant , quibus aliquid pudoris est , frontemque non omnino perficuerunt . Ergo velint , nolint miseri nebulones , fateantur necesse est , omnia à supremo mundi Rectore in finem debitum dirigi .

40. Monstrum est effectus à recta , et solita dispositione insigniter degenerans . Hinc saltem impiis Providentiae osoribus calculus adiiciendus ? Ludricum hoc prorsus est , ac desperatae causae apertissimum argumentum .

41. Nequeunt due causae totales eiusdem ordinis simul eundem numero effectum producere .

42. Fieri quoque nullo modo potest , ut effectus , qui ab una productus fuit causa , possit ab alia produci .

43. Fortuna , et Casus , Ethnicorum posthabita superstitione , sunt causae per accidens efficientes , ex quibus effectus sequuntur inopinati : utriusque dare discriminem , mei muneris esse censeo .

44. Excipe Deum ; nihil est , quod fortunae , et casui non sit obnoxium .

45. Ab antiquo Gentium fato , quod ineluctabilem necessitatem rebus imponat , toto coelo distantes , illud recte explicatum admittimus ; sano nempe , ac catholico sensu .

*Dei existentia , et attributa .*

46. Nec stipite aliquanto plus sapit pestis illa nebulonum tetrica , quae in Sacrosanctam etiam Divini Numinis Maiestatem evomens virus acerbatis suae , eò usque progressa est in furore suo , ut Dei O. M. existentiam perficta fronte inficiari sit ausa : intimo enim cuiusque sensu , nullique non exaudita naturae voce , sic illa clara fit , et perspicua , ut nullas ei fuitiles , ac secum pugnantes Atheorum ratiunculae valeant nebulas offundere .

47. Ab orco prodiit impiorum caterva , Deum coelo pellere molientium , qui Religionem , qua ipsum sanctissime colimus , depopulari facto agmine moliti sunt ; quorum elumbes , planeque vitreae argutationes sic nos terrent , quemadmodum rana leonem .

48. Tametsi Religionis naturalis praecepta utenti ratione homini sint equidem comperta ; eorum tamen usus , et particulares , quae ex his profluunt , conclusiones , ratione caligante , ac calcitrantibus concupiscentiae aciculis saepe corrumpuntur ; hinc necessaria omnino est Divina revelatio non solum quoad veritates supernaturales , sed etiam quantum ad eas , quas propria vi mens sibi poterit comparare .

49. Unus dumtaxat Deus ; et si plures ~~res~~ adstruantur , corruit Divinitas .

Est

\* XXXVII \*

50. Est Deus simplex omnino , nec aliquid in eo invenire fas est , quod compositionem redoleat.

51. Deum hominum adinstar mutationi subiici , Stoici tradere minime detrectant : usque adeo improba coecitas eorum animos occupaverat , p dementaveratque.

52. Immensus Deus est , et locum reperies nullum , qui ab illo non repleatur.

53. Potentia eius metam non agnoscit : fremant licet , et obstrepent Leibni- tius , Wolfius , eorumque gregales.

54. Ipsius Providentia ad minima quaeque se extendit , ad vilia quoque , et abiectissima.

55. Non solum activas vires Deus confert creaturis , sed etiam eas , sive liberas , sive necessarias , ad operationem applicat , et movet motione illa , quae praemotio , seu praedeterminatio physica nuncupatur.

56. Exinde adversarii tamquam negatae libertatis reos nos carpunt ; sed si ibi error , Ang. Prae. tamquam periculi nostri particeps , nobiscum corripiendus . Et quis profecto audebit ?

57. Nec ideo simultaneum concursum reiicimus , si , ut decet , explicetur.

58. Nedum ad peccati actionem , sed etiam ad malitiam Deum concurre-re , vaferimus cum suis asseclis dogmatizavit Calvinus : Ast quaenam fides procacibus impostoribus , somnia sua sine vade , sine testibus liberaliter venditantibus ? Nulla profecto.

*Angeli.*

59. Nomen hoc Angelus pro spirituali substantia , quam Angelicam vocamus , usurpatur , vocabulo officii ad naturam significandam translato. Saducæorum inscitiam Angelorum existentiam negantium rusticam plane , ac ligneam impietatem imperterriti appellamus.

60. Angelorum cognitionem , locutionem , corporumque assumptionem paucis expediam , ne extra Philosophorum orbitam excurrentes , in alienam messem falcem iniiciamus.

*Rationalis animae origo , et natura.*

61. Principium illud , vi cuius homo cogitat , plurimas res percipit , in vicem secernit , ac internoscit , Animam vocamus : illius existentia ipso naturae sensu , tacitâque admonitione ita comperta , ut nulla vel levissima dubitatio suboriri posse videatur.

62. Terga dare compellimur Epicuro , eiusque sectariis animae rationalis

\* XXXVIII \*

spiritualitatem scelestissime pernegantes ; equidem fides docet , ratio convincit, omniumque saeculorum consensus confirmat , esse humanam animam substantiam omnino immaterialem.

63. Atqui nullum corruptionis principium agnoscit , estque sui natura immortalis. ; Audistin , procaces Materialistae , vaferrimi nebulones ? ; Vae vobis sepulcra dealbata !

64. Vel unum plus satis est argumentum , quo utitur immortalis Aquinas, ad Hobbesium , Tolandum , Rousoum , aliosque iniquissima impietatis monstra acute , solide , nervose prosternendos. Ergo nedum è Religione , sed à naturali ratione animae spiritualitas , et immortalitas repetenda.

65. Pura , putaque commenta sunt , humanas Animas multò ante sua corpora procreatās , à corpore in corpus , etiam ignobilis , secundum quod uniuscuiusque exigerent merita , commigrare.

66. Non sine luminibus udis audire possum quosdam ineptissimos , Animas hominum , vel ipsum esse Deum , vel Divinae substantiae particulas temere, arroganterque blaterantes.

67. Nihilo minus absurda Leibnitii sententia , rationales scilicet Animas initio temporis fuisse à Deo conditas , et organicis corpusculis inclusas , quae cum corporum machinulis in matrum uteros transigerent.

68. Nec minus veritatis semitas deserere videntur Traduciani , qui ab anima patris portionem descissam , filioque per generationem communicatam, mentem humanam derivarunt.

69. Rationalis Animae essentiam in actuali , perennique cogitatione Cartesius collocavit : fallit certe nos , et fallitur.

*Animae facultates , et dotes.*

70. Intellectus , inter rationalis animae dotes praecipuum ornamentum ; ea est dicenda facultas , vi cuius percipimus , iudicamus , ratiocinamus , nostrasque cogitationes certo ordine disponimus.

71. Voluntas , alia , nec ignobilis animi dos , qua proposita ab intellectu obiecta prosequimur , vel aspernamur.

72. Ad aliquid amplectendum , aliudque respuendum sine motivis non flectitur voluntas.

73. Mira est humanorum actuum harmonia ad negotium quodlibet prudenter procuratum concurrentium. Sex actus ex parte intellectus , totidemque ex parte voluntatis , omnium adiecta explicatione , ac infibulatione , enumera-bimus.

74. ; Patienter quis ferat horrendum Calvini dictum , execrandamque eius

\* XXXIX \*

vocem , ab stirpe primi criminis libertatis iacturam repetentis ? Bellua profecto. Igitur qui libertatis humanae existentiam inficiantur , vel in dubium revocant , ii sane indigent elleboro.

75. Varias libertatis acceptiones , divisiones , ac illius radices in arena promam.

76. Inter illius definitiones nobis arridet cum S. Thoma eam his circumscriri : Vis electiva mediorum servato ordine finis.

77. Indifferentia est de ratione libertatis arbitrii.

78. Ad arbitrii libertatem utraque indifferentia praerequiritur , et obiectiva , et subiectiva.

79. Indifferentia moralis , seu ad bene , vel male agendum potius dicenda est naevus , ac imperfectio libertatis.

80. Absente , quam contrarietas , seu quoad specificationem vocant , libera manet voluntas , modo adsit contradictionis , seu quoad exercitium.

81. De memoria , eiusque physica causa interrogati non pauca garriemus.

*Anima coniuncta corpori , et separata.*

82. Mens corpori unita , ipsa experientia teste , et illo tamquam organo , et instrumento utitur , et vicissim ab eo varie adficitur. Admirabilis haec animi , et corporis conspiratio iam pridem commercium dici consuevit.

83. Quanam autem lege istud valeat explicari , id ultro fatendum est , et mirum admodum esse , et praeruptam nimis ac asperam quamcumque viam excogitatam ad hunc gordianum nodum extricandum.

84. Enimvero tria praecipue inventa sunt celebriora systemata. Primum causarum occasionalium à Malebranchio propugnatum , et intimae conscientiae repugnat , et Sacrae Theologiae non consentit.

85. Harmoniae praestabilitae hypothesis à Leibnitio adinventa , quam crambes instar recociae nobis obtrudit Wolfius , uberrimam prodit scenam plurium in Fide , et Physica errorum.

86. Influxus physici opinio , licet difficultate non modicâ involuta , nihilo tamen secius inter cordatores Philosophos hodiedum obtinet , et defendi posse videtur.

87. Post animae à corpore separationem intellectus , et voluntas illi formaliter insunt , potentiae verò sensitivae solum radicaliter.

*Creatio , et Miracula.*

88. Creatio est productio rei ex nihilo , seu ex nullo praesupposito subiecto.

89. Creaturam neque ut principalem causam , neque ut instrumentalem

crea-

\* XL \*

creare posse , testem dabo omni exceptione maiorem. ; Nostri illum ? Ang.  
Prae.

90. Nobis est miraculum effectus solius divinae virtutis praeter ordinem  
totius naturae creatae. Huic D. Thomae utroque pollice subscribimus diffini-  
tioni ; alias Spinozae , Lockii , ac Clarkii floxi facimus , et aspernamur.

91. Tres ab Ang. Prae. recensitos miraculorum ordines , et gradus , qui-  
bus praecedens definitio magis clarescit , ac illustratur , minutatim exponere  
promptus ero.

92. Possibilia sunt miracula digito Dei. Faceant ergo Spinoza , et Wol-  
tonus , qui per summam impudentiam omnia miracula respuunt.

93. In consortium Dei omnium Creatoris advocari nequit creatura ulla,  
ut principaliter miracula edat ; ille enim ipse est , qui facit mirabilia solus.

94. Nihil tamen vetat , quominus et Angeli , et homines miracula vera  
instrumentaliter operentur.

95. Ergo poterit Cacodaemon tamquam instrumentalis causa in erroris  
confirmationem veri nominis miracula perpetrare ? Absit à nobis impia co-  
gitatio.

96. Hinc Miracula , quae ab Aesculapio , Apollonio , et Tarquinio peracta  
recensentur , quibusque praecipua Religionis nostrae mysteria pesundare co-  
natur Volterus , commentitia sane sunt , vix digna lucubrationibus annicu-  
larum.

Et en , humanissime Lector , his lectum thesibus totius nostrae Philo-  
sophiae specimen. Tu igitur illas , sin minus arrisserint , ( quoniam invita Mi-  
nerva vereor te aliquid offensurum ) dele , discerpe , combure , nulli propte-  
rea subirascimur. Monitum tamen te velim , nos ab omni partium studio libe-  
ros veritatem unice quaerere , inventam tenere , agnitam propugnare , nec  
aliud Superi faxint. Vale.

Vt. D. D. Bruno Andreu,

Vt. Balaguer,

V. G. I. Cens. Reg.

Vt. D. D. Josephus Jover,

Stud. Reg. et Rect.



